SINODALIA DECRETA

AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO XAVERIO FARACE


DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ANTISTITE BOVINENSI,

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRO, BARONE, ET UTILI DOMINO
EX FEUDI S. LAURENTII IN VALLE,

E D I T A

SUB DIE QUARTA MENSIS OCTOBRIS ANNI 1838, ET DUOBUS SEQUENTIBUS DIEBUS.



NEAPOLI 1839
APUD FERDINANDUM RAIMONDI.

FRANCISCUS XAVERIUS FARACE

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS BOVINEN

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER, BARO, ET UTILIS DOMINUS EX FEUDI S. LAURENTII IN VALLE.

Venerabilibus Fratribus, dilectisque Filiis Archidiacono, Dignitatibus, et Canonicis hujus Nostrae Regiae Cathedralis Ecclesiae, et Collegiatae Iliceti, Archipresbyteris, Curatis omnibus, Vicariis Foraneis, tam hujus praefatae Civitatis, quam totius Dioecesis benedictionem, et in Domino salutem sempiternam.

Alexander VII. Italiae, et Insularum adjacentium Episcopos sic alloquebatur. *Persuasissimum vobis esse non dubitamus nihil frequenti animarum recognitione, Synodorumque celebratione, populorumque saluti, ac veteri disciplinae constituendae, nihil Catholicorum Principum paci a Deo impetrandae accomodatius, esse.* Haec animo perpendentes, et ne hac ex parte Episcopali munere nos deesse videamur, post Dioecesis perlustrationem, in qua cognitis malis opportuna facilius praebeantur remedia, hanc primam Dioecesanam Synodum, Deo adjuvante, opitulantibus etiam Beata Maria semper Virgine in Coelum Assumpta, et Sancto Marco Episcopo Patrono Nostro indicere, convocare statuimus. Die igitur quarta proximi Mensis Octobris

erit Synodus Dioecesana; quapropter Dignitatibus, Canonicis Cathedralis, et Collegiatae Iliceti, Parochis, Vicariis Foraneis, et Curatis, Beneficiatis, reliquis Civitatis, et Dioecesis Ecclesiasticis, Regularibus, et aliis, qui de jure, vel consuetudine huic Synodo interesse debent, sub poenis ad Nostrum arbitrium mandamus, ut ad Illam praecedenti die quilibet eorum accedat decenti tonsura, habitu talari, Rocheto, vel Superpellicco mundo, sui tituli insignibus, ac bireto, nec discedat nisi coetu praedicto absoluto.

Qui legitime fuerit impeditus (quod cognoscere nostrum est) saltem sex diebus ante coram Nobis, vel nostro Pro-Vicario Generali causam proferat, doceatque, secus eisdem poenis subjaceat.

In virtute sanctae obedientiae omnibus praecipimus, etiam Regularibus in ambitu Nostrae Dioecesis, ut a die publicationis hujus Edicti, ad finem usque ejusdem Synodi in omnibus Missis, et aliis publicis functionibus fiat Collecta *de Spiritu Sancto*; diebus Dominicis vero Ecclesiarum Rectores Synodum populo denunciantes, Litanias Sanctorum ante Missam solemnem cum eodem recitent; ipsum monentes, quod visitantibus nostram Cathedralem tempore Synodi, recteque dispositis Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta lucrari datum est ex Indulto Gregorii XVI. feliciter regnantis, sub die tertia Octobris elapsi anni 1837, Curati omnes ante eorum discessum idoneo Sacerdoti, qui eorum vices in animarum cura suppleat, durante Synodo, Sacramentorum administrationem, et aegrotos relinquant commendatos.

Tandem praesentes Edictales Literae in hac Cathedrali, Ecclesiis omnibus Parochialibus Civitatis, et Dioecesis affigantur, et ita vim habeant, ac si omnibus, et singulis personaliter notificatae fuissent — Datum Bovini ex Aedibus nostris die 20 Mensis Septembris 1838.

Franciscus Episcopus Bovinen

Literae Edictales ut supra

Franciscus Paulus Macchiarelli Cancell.

CAPUT I.

DE PRAEJUDICIO NON INFERENDO.

Si in hac Synodo alicui ex convocatis, et congregatis suo loco non sedere, aut incedere, aut quidquid agere, ad id propterea nemini jus acquiri, acquisitumque esse decernimus, neque quidquam de alterius jure possessioneve detrahi, sed omnia eo statu permanere, quo antea fuisse, compertum est.

CAPUT II.

DE FIDEI PROFESSIONE.

Quidquid apud te est praeter fidem, est perfidia, non fides est, sic olim Constantium Divus Hilarius alloquebatur. His Verbis etiam fidei Sectatorum animos, hisce praesertim temporibus, oportet animos ciere. Haud nos novissimorum temporum ignari, cor facile est comperire eorum, qui sanam doctrinam non sustinentes, juxta Apostoli verba, coacervaverint sibi magistros prurientes auribus, et qui a veritate quidem auditum avertant, ad fabulas autem convertantur. Sed benedictus

Deus, et Dominus noster Jesus Christus, qui tot mala jam perpessa, errorum Caligines, tenebrasque fugavit, *ut nunc non simus jam parvuli fluctuantes, et circumferamus omni vento doctrinae*. Cum itaque una sit Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia, praedicans Christi Divinitatem, et Evangelium, unus sit Deus, una fides, unum Baptismum, eidem fidei inhaereamus oportet. Hinc ut vitam promereamur aeternam, haeresum tricas caveamus, eamdem Ecclesiae fidem ab omni errore, perfidiaque immunem libentissime profitemur, ejusque Supremo judicio hanc Synodum humillime subjicimus. Ideo decernimus, ut hujus sacrosanctae fidei professionem eliciant omnes, qui eidem interesse debeant, Examinatores Synodales, et Judices eligendi, Dignitates, et Canonici, Archipresbyteri, Beneficiatique omnes priusquam in possessionem quorumlibet beneficiorum immittantur, juxta Tridentini Concilii decretum, et formam a Pontifice Pio quarto praescriptam, sub poenis in ejusdem Pontificis constitutione contentis. Hinc etiam cavenda, et abhorrenda in hac Synodo statuimus omnia quaecumque ea sint, venenosa haeresum semina, Clandestina conventicula, et societates quascumque rejicimus, et prorsum reprobamus, utpote eas semper populorum securitati, fidei puritati, Regum paci, morumque sanctitati adversas, et tum jampridem Canonicis Sanctionibus proscriptas, et tum nuperrime Ferdinando I. Optimo, et Religiosissimo Rege Regnante, Pii septimi immortalis nominis saluterrimis notificationibus eliminata esse liquet. Libros improbatae lectionis Religioni, publicae tranquillitati, mo-

rumque honestati infestos legere, retinere, alienare, donare, aliisque legendos tradere sub poenis in Sacris Canonibus contentis omnibus, et singulis hujus Dioecesis interdicimus. Tandem ne error qualiscumque serpat, et bonos mores colloquia prava corrumpant, Confessarios admonemus, ut suis poenitentibus injungant quidquid juxta Canones, et Pontificias Constitutiones ipsis est agendum ad absolutionis beneficium assequendum.

CAPUT III.

DE DEI VERBI PRAEDICATIONE.

Munus praecipuum cujuslibet Animarum Rectoris in eo esse positum, ut bonum semen instanter, et assidue in Agro Domini seminet, idque sibi injunctum agnoscat diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus, juxta Tridentinum, et hora pro qualitate locorum Populi commoditati magis consentanea. Studeant igitur Curati omnes quod scire omnibus necessarium ad salutem erit docere, morbos ovium suarum curare, illud Apostoli prae oculis habentes: *argue*, *obsecra*, *increpa in omni patientia*, *et Doctrina.* Et cum non omnes capiunt verbum Dei, idem pro modulo ad rudium, indoctorumque captum accomodent, scilicet ut se in docendo attemperent diversis aetatibus, et ingeniis. Ut autem ignorantiam malitiae occurratur, nam in Campestribus habitantes prima fidei rudimenta negligunt, eorumdem saluti consulere cupientes, statuimus, ut singulis festis diebus, saltem in prima Missa Parochiali

post Evangelium, alta voce, et Materno idiomate, sub poenis Canonicis, Populo respondente, recitentur signum Crucis, Mysteria Sanctissimae Trinitatis, et Incarnationis, Symbolum Apostòlorum, Oratio Dominicalis, Salutatio Angelica, praecepta Decalogi, et Ecclesiae, septem Sacramenta, et actus Christiani, quod etiam in Oratoriis, et Cappellis Ruralibus, ubi Sacra peraguntur, faciendum praecipimus. Nemo unus Dei verbum praedicare, aut Sanctorum laudes texere audeat, Nobis, vel nostro Vicario Generali inconsultis, quacumque ex causa; ita etiam dicendum de praedicatoribus quaresimalibus. Regulares non admittantur ad hoc munus nisi literis approbationis suorum Superiorum tum quoad scientiam, tum quoad mores. Sacrosancta fidei Mysteria, Christiana morum praecepta, aeterna praemia, aut supplicia, Ecclesiae in primis solvendi, ligandique vim, ac potestatem sigillatim enucleabunt. Jesum Christum autem, et hunc Crucifixum praedicabunt. In concionibus nulla admisceatur scurrilitas, vel repraesentatio, qua verbum Dei veluti in scenam adducitur, atque auditoribus deridendum trahitur, praesertim tempore Quadragesimali, quod poenitentiae, et conversioni ad Deum peragendae salubriter est institutum, ne praeconum culpa auditores verbum Dei non audiunt, vel illud vacuum redeat. Rectorum animarum igitur ut ad hoc invigilent, conscientiam strictissime oneramus. Tandem Purochialium Concionum tempore reliquarum Ecclesiarum, et Congregationum functiones omnino sub poenis sileant.

CAPUT IV.

DE FESTORUM OBSERVANTIA.

Ad fidei nitorem, atque praesidium nihil tam valide influit, quam dierum Domini, et festorum diligens observantia. Haec siquidem, ut in primis Mundi exordiis Dei Creatoris, et benefactoris, in lege Moysis Legislatoris, populique Judaici Protectoris, in lege gratiae Servatoris, et Sanctificatoris nostri Jesu memoriam renovant, ita firmiter in rudioris praesertim populi animis informantur. Hac certe mente statim a Domini resurrectione Apostoli, eorumque discipuli Dominicum diem singulis, quibusque hebdomadibus solemnem fecerunt, in quo Christus resurrexit, ut tanti Mysterii veritas probaretur, et utique, ac semper in fidelium cordibus perenni traditione altius firmaretur. Idem dicamus de aliis solemnioribus diebus de Pentecoste, Nativitate, de Epiphania, et Ascensione. Idem de Beatae Mariae semper Virginis festivitatibus. Idem de Apostolorum, et Martyrum natalitiis. Idem de aliis Sanctorum festis, quorum gloria possibilitatem Divina praecepta exequendi commendat, et fidem nostram excitat ad eos imitandos, venerandos, eorumque patrocinia imploranda. Pro eorum observatione Parochis mandamus, ut Dominicis diebus per annum inter Missarum solemnia, Evangelio decantato, festi dies, vigiliae, quatuor tempora, et indulgentiae, quae infra hebdomadam inciderint, publicentur. Quae cum ita sint detestanda occurrit eorum

audacia, qui diversis commentis, fallaciisque conati sunt dies Domini e medio tollere, uti impii olim dicere *ausi sunt*: *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*: perfidiam horum imitari videntur, qui operibus illicitis, et servilibus temere, mendicatisque ex caussis hisce diebus attendunt. Hujusmodi malum in tantam excrevit malitiam, ut vix festi a ferialibus diebus discerni valeant. Ut huic tanto malo occuramus Parochi populo sibi commisso insinuent, in diebus dominicis, et festis Missae praecepto debita reverentia satisfacere, Sacramenta frequentare, pietatis opera exercere, Dei verbum audire, ludos, choreas, aliaque Christiano indigna fugere, et declinare. In casibus autem ubi necessitas urget, et pietas suadet non sibi permittant de suo arbitrio fideles laborare: sed si sint in Civitate Nos, vel nostrum Vicarium Generalem adeant pro facultate obtinenda: si in Dioecesi liceat Vicariis Foraneis eam gratis non sine debitis conditionibus elargiri. Abominabilis apud Deum ea mala consuetudo, quae tempore Baccanalium locum habere solet, vestium muliebrium nempe, et virilium permutatio, seu dissimulatio sexus. Quantum ab hujuscemodi more abhorreat Ecclesia apparet ex Censurae gravitate, cui tales personas subjacebat. Tantum igitur malum a lege, et Ecclesia vetitum, maxime diebus festis prohibemus, et quod Parochorum volumus commendatum permaxime.

CAPUT. V.

DE MISSAE SACRIFICIO.

Celebrato veteri Paschate, quod exitus de Ægypto Populi Istraelis praefigurabatur, Christus Dominus novum instituit, sic Patres Tridentini, et seipsum per Ministros novae legis sub signis visibilibus Panis, et vini in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem tradidit, et reliquit. Una enim, eademque est Hostia Crucis scilicet, et Altaris, sola tantum offerendi ratione diversa. Hinc omnem operam in tanto Sacrificio ponendam esse, ut quantum fieri possit, interiore cordis munditia non solum, sed puritate, et exteriore devotionis, et pietatis specie a sacerdotibus peragatur. Praeterea ad decus, et honorem conservandum erga hoc Sacrosanctum Mysterium interdicuntur, et prorsus prohibentur importunae, et illiberales Missarum exactiones, postulationes praesertim in Sacramentali Confessione, vel ejusdem occasione, et praetextu, quae a simoniaca labe, vel turpi quaestu non longe abesse quisque facile dignoscit. Nullus vagus, aut ignotus Sacerdos sine Dimissorialibus sui ordinarii per Nos in Civitate, et per Nostros Vicarios Foraneos in Dioecesi dignoscendis Missam celebrare praesumat. Novi Sacerdotes sacrum facere non audeant, nisi diu ante bene instructi videantur in Sacris Coeremoneis, et in iis per Nos examinandi. Omnes in nigri coloris vestibus, non sordidis, aut inquinatis, nec dilaceratis; sed mun-

dis, et ad tales usque discendentibus, juxta rubricas, et anteriori parte clausis. Canonicis, et Doctoribus missam celebrantibus, uti Benedictus decimus tertius decrevit, annulum gestare vetitum est. Quilibet Sacerdos ut ad tantum Mysterium ea, qua par est Sanctitate accedat, seipsum probet, et Sacramentalem Confessionem, quatenus opus sit, praemittat. Preces ante, et post Missam pro Sacerdotis commoditate in rubricis, vel tabellis descriptas recitare non omittat. Caveat quisque ne etiam festinanter Missam celebret: sed voce clara, intelligibili, distincta, devota, et studiosa. Urgeant ut hoc adamussim observetur Ecclesiarum Rectores, et Vicarii Foranei, et Nos certiores faciant, ut provide huic tanto malo occurramus. Missae in diebus festis non uno, eodemque tempore, sed pro populi commoditate dicendae, et nemo celebret eadem hora, qua Missa Parochialis est peragenda. Ubicumque Missarum onera reperiuntur liber specialis, vel tabella habeatur, in qua officiorum, Anniversariorum, aliorumque satisfactionum implementa diligenter adnotentur juxta fundatorum, aut Benefactorum dispositiones. Tabella a nostris praedecessoribus, vel a Nobis sit subscripta. Ubi autem ea desit, infra bimestre conficeatur, et subscribatur ne Benefactorum mens ullo pacto defraudetur, et publice in Sacristia suspensa habeatur sub poenis Canonicis. Missae non celebrentur nisi diebus, Ecclesiis, et Altaribus a Fundatoribus assignatis. Unusquisque Sacerdos consuetam Eleemosynam ab hujus Dioecesis consuetudine praefinita accipere debet. Fideles autem dum Sacrum audient sint decenti, et composito corpo-

ris habitu, flexis genibus, numquam Altaribus innitentes, nec pileos illis imponentes. Viri sint capite aperto. Foeminae vero velent caput suum propter Angelos, ut Apostolus ait: sed nequaquam illo capitis indumento utantur, quod vulgo dicitur *Cappelletto*, et expedit deponi postquam in Ecclesiam sint ingressae. Sacerdotes ad bene Sacrificium persolvendum saltem tertiam horae partem impendant. Hic juvat in memoriam renovare omnia decreta de hac re in Sancta visitatione peracta, quae volumus ad unguem observari, et confirmari. Nobis Pontificalia exercentibus omnes de Clero hujus Civitatis, non excepto Archipresbytero pro tempore Parochialis Ecclesiae Sancti Petri, in tonsura, habitu talari, et aliis insignibus adsistere debeant, sub poena suspensionis. Nemini insuper absque nostra licentia in quovis alio Altari, durante Missa Pontificali, quo tempore Sacrae functiones sileant, celebrare datum est, nequidem in aliis Ecclesiis sub poenis contentis in Regiis encyclicis die vigesima Augusti 1797. Tandem quando accidit Sanctorum solemnitatem fieri extra tempus, et diem Martyrologio adsignatum, sed pro commoditate alicujus loci, Congregationis, vel specialis personae intuitu nequaquam Missa dicatur, nec Commemoratio de Sancto; cujus festivitas agitur, sed die currenti. Id nempe Rubricis generalibus, et Sacrae Rituum Congregationis praescriptis adversatur, et omnis abusus jam ante in aliquibus Ecclesiis, et Congregationibus irreptus omnino cum hoc decreto est abscindendus. Neque liceat in officio duplici Missam Votivam celebrare, commemorationem ponere, sed omnino

standum juxta rubricas, et decretum Nobis editum, publicatum, et affixum die nona Augusti proxime elapsi.

CAPUT. VI.

DE SACRAMENTIS.

Septem columnis illis, quas excidit Sapientia, septem novae legis Sacramenta praesignantur, quae Christus Dominus instituit priusquam de hoc mundo ad Patrem discederet. Licet autem ex opere operato, uti Theologi asserunt, agant Sacramenta, nulli tamen dubium est, quin ex ipsius Ministri Sanctitate, Charitate, et precibus uberiorem desumant fructum ii, qui ex eorum manibus illa suscipiunt. Ideo omnes Ministros monemus, ut Sancte Sancta tractanda sint. Non omittant simul interius se corde mundare, et actualem, vel saltem virtualem intentionem praeferre. Exterius vero, quo Sacramentorum majestas eluceat superpelliceo, et Stola utantur. Satagant insuper mundam, idoneamque materiam parare, et a forma in Rituali Romano praescripta minime recedere. Parochi, et Curati omnes sunt Sacramentorum Ministri ordinarii, sed urgente necessitate, Caeteri Sacerdotes alacriter occurrant, illius verbi Domini memores, *infirmus eram, et visitastis me, et quandiu fecistis ex his fratribus meis, mihi fecistis.* Qui animarum curam gerunt Sacramentorum virtutem in Concionibus exponere non desinant ut sic circa eorumdem Sanctitatem fideles docti nonnisi

dispositi, debita cum modestia, decenti habitu, et Mulieres praesertim velato capite, vultuque demisso ad ea sumenda accedant. Quisque Curatus, juxta formam Ritualis Romani, quinque libros habeat apud se, scilicet Baptizatorum, Confirmatorum, mortuorum, unus de adultis, et alter de parvulis, Matrimoniorum, et status Animarum bene compositos, corrigiis alligatis, nitido, et purgato Charactere, ubi statim a Sacramenti susceptione particulae adnotentur cum descriptione Nominum, et Cognominum in margine, et cum respectivo indice in fine, aut in principio adamussim respondente, qui fere in omnibus Ecclesiis Parochialibus tam Civitatis, quam Diocesis desideratur, uti non sine animi nostri moerore in sancta visitatione novissime peracta perspeximus. In singulis Parochialibus adsit Armarium cum decenti ornatu extra fontem Baptisimalem, in qua Sacra Olea serventur cum hocmet Epigraphe Majusculis litteris. Haetenus pauca dicimus generatim de Sacramentis, modo de singulis breviter verba facimus. Ianua Sacramentorum est Baptismus, *et nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei.* Hinc collatio hujus est prorsus absolutae necessitatis. Infantes vix in lucem editi hoc saluberrimo lavacro abluantur, et quando sunt in aliquo vitae descrimine rite domi Baptizentur, ideo a Parochis obstetrices de materia, et forma hujusmet Sacramenti instruantur. Cessante periculo ad supplendas Caeremonias ad Ecclesiam puer deferatur. Si vero de collatione, aut validitate Sacramenti dubitetur, tum conditionali formula iterum abluendum esse

Sacri Canones praescribunt. Fons Baptisimalis sit bene dispositus non solum parte exteriori, sed interiori etiam. *Conopocum* sit aliquo serico panno coopertum. Sit vestis alba instar simbuculae pueris imponenda. Mantile ad manus tergendas, et Candela Cerea. In ejusdem Sacramenti administratione nihil exigatur etiamsi sit de minimis sub poenis ad nostrum arbitrium.

In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Ad servandam igitur a fidelibus innocentiam in aquis partam, et ad inimicorum incursus resistendos novo auxilio, et mysterio debiles, et indigentes Dominus roboravit. Ex divino igitur, et Ecclesiastico praecepto fideles confirmationis Sacramento indigent, ut Christianae vitae perfectionem adipiscantur. Erit Parochorum igitur in edicto Sanctae visitationis per dioecesim non semel monere, et Parochianos excitare ad confirmationem suscipiendam. Quando ad discretionis annos aliquis attigerit sacramentaliter confiteatur, ut hujus Sacramenti fructus percipiatur. Pueri sint primis fidei rudimentis instructi, et Parochi omnibus denunciant ut Candelam ceream albi coloris parent juxta Ecclesiae consuetudinem, et ut in honorem Sacri Chrismatis aliquo temporis spatio fasciam in fronte Confirmati gerant, neque ab Ecclesia discedant, nisi post Episcopalem benedictionem.

Christus Dominus in ultima Coena cum discipulis facta Eucharistiae Sacramentum instituit, in quo divini sui erga homines amoris divitias effudit, mirabilium suorum memoriam fecit, et pignus esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis. Summa animi ve-

neratione igitur, cultuque latriae tantum misterium suscipiendum esse, quod ipsum Christum Dominum continet, Scripturae docent, traditio firmat, definivit Ecclesia. Hinc tum Sacerdotes, tum Laici, qui se fortasse gravis culpae, quod absit; conscios sentiant absque Sacramentali Confessione, ad Coelestem hanc mensam accedere non praesumant, sed prius seipsos probent, ne judicium sibi manducant, et bibant. Cum consuetudo osservandi in Sacrario Sanctam Eucharistiam adeo antiqua sit, ut a primis Concilis cognita, illamque ad infirmos honorifice deferendi, diligenter Ecclesia observaverit, hinc Tabernaculum affabre constructum, ostiolum argenteum bene clausum cum clavi argentea, aut ferrea deargentata, intus usquequaque ornatum animarum Rectores satagant. Lampas diu, noctuque ardeat e conspectu ejusdem, nec ad infirmos deferatur nisi saltem cum sex luminibus accensis praecedentibus. Nihil praeter Eucharistiam in tabernaculo asservetur interius cum panno serico ante ostiolum sit, et deorsum cum corporali mundo inibi strato. Ultra Pixidem magnam pro expositione SS. Sacramenti quotidie horis vespertinis facienda, alia sit pro Viatico ad infirmos cum Conopaeo vulgo *Cappiglia* auro, argentoque contexta, subter quod sit aliud de lino mundo. Particulae consecratae extivo, aut autumnali tempore in singulis hebdomadibus revoventur, Hyemali autem, et verno bis in mense. Insuper quando Sacra Synaxis fidelibus in Communione porrigitur particula nec frangenda, nec minuenda erit, licet pluribus petentibus non sufficiat. Quoniam Sanctum Canibus tradere non licet, hinc cum

hac nostra Synodo mandamus denegandam hanc Sanctam refectionem publicis Concubinariis, Meretricibus foeneratoribus, blasphemis, conjugibus sine culpa, aut caussa legitima cohabitare nolentibus, et reconciliare renuentibus, inimicitias palam colentibus, aliisque similibus facinorosis, dummodo post monitiones in peccato perseverent, contumacesque declarentur. Christiane vero viventibus frequentiam Eucharistiae insinuent Parochi, commemorantes Augustini verba: *accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit, sic vive, ut quotidie merearis accipere:* Clerici, et omnes praesertim in sacris ad majores ordines promovendi, quod, et Tridentinum penitus flagitat, et exquirit, ut jam statuimus per Nostras literas Encyclicas; sciant ipsi maxime decere si in diebus praesertim dominicis: et solemnioribus cum Altari ministraverint sacram percipiunt Comunionem. Sacerdotes Altare accedentes pro Missae celebratione mente integra recogitent, quale Sacrificium renovant, et ideo id peragant digne attente, devote, mature, nihil omittentes circa Caeremonias, et alia a Rubricis praescripta, quapropter adamussim observetur decretum a nobis in Sacra visitatione de hac re promulgatum. Tandem Eucharistiam publice adorandam absque caussa a Nobis adprobata, et absque nostra licentia exponere prohibemus.

O immensa Dei Charitas! O Inaestimabile beneficium lapsis, et etiam sibi inimicis exhibitum per secundam post naufragium tabulam, scilicet per poenitentiam! In hoc igitur Parochorum studium versetur ut populus Christianus intelligat tum necessitatem ab-

solutam inhaerentem in omnibus, qui ad rationis usum pervenerint, illam quantocitius arripiendi, tum eam ita esse a Sacramentorum Auctore dispositam, ut per cordis contritionem, oris Confessionem, fiducialiter peccatorum remissionem apprehendat. Ne vero tam grave munus fidelibus necessarium indigne, imperite admministretur, excepto necessitatis casu, in quo omnibus Praesbyteris absolutionem impartiri datum est, nullum Sacerdotem, etiam Regularem posse Confessiones excipere, nisi aut Parochiale beneficium obtinuerit, aut a Nobis per examen adprobetur. Hanc adprobationem in scriptis habeat, et Pagellae tenorem, et Conditionem adamussim observent. Ministri Sacramenti Poenitentiae intrinsecus puro corde, et fide non ficta, forinsecus decenter compositi cum superpelliceo, et stola ad claves Regni Coelorum tractandas accedunt. Satagant illud dispensare humillibus, et modestis Poenitentibus, et Foeminis velum super caput gerentibus. Mulierum Confessiones non audiantur nisi in Ecclesiis publicis, et in sedibus Confessionalibus non reprobatis, neque a Nobis in sancta visitatione interdictis, neque ante Solis ortum, neque post ejus occasum. In Ecclesiis Ruralibus non apponantur istae sedes, nisi cum nostra licentia, et ubi reperiuntur in eis confessiones haud excipiantur nisi diebus solemnibus, occasione populi concursus. Mulieres aegrotantes non audiantur nisi ostio cubiculi aperto, itaut Sacerdos, possit ab aliis conspici, et non audiri. Casus reservati super Tabellis impressi, affixi remaneant in sedibus Confessionalibus. Caveant Confessarii, ne quid a Poenitentibus accipiant,

neque Eleemosinas etiam pro Missarum celebratione, neque restitutionem sibi applicent, aut monisterio si sint Regulares, sed eorum arbitrio relinquant, haec enim Simoniae suspicionem in populo valeant injicere. Inter audiendas confessiones tanta gravitate, et modestia se gerant, ut de rebus Sacramento extraneis ullum instituere valeant sermonem, aut tractatum. Ultra debitum Paschalis praecepti, frequentiam hujus Sacramenti saepe saepius Parochi, Confessarii, et Concionatores insinuare non desinant, Presbyteri praesertim, et Clerici id frequenter peragere studeant. Tandem monitos Confessarios, omnes volumus Bullas Gregorii decimiquinti. *Universi Dominici Gregis*, et Benedicti decimi quarti contra sollicitantes perlegere, probe callere, et ad unguem servare.

Infirmatur quis in Vobis? Ait Sanctus Jacobus: *inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Tridentinum adjungit. Unctionem infirmis esse adhibendam illis praesertim, qui tam periculose decumbent, ut in exitu vitae constituti esse videntur, et rationis usum adhuc habentibus, ut preces suas Ecclesiae Orationibus possint dicere, et magis oratio fidei salvare, et illum alleviare. Curent Parochi diligenter ne fideles Pareciae sine ultimis Sacramentis, et Religionis officiis decedant, et quo magis morbi ingravescunt, eo magis eorum sollicitudo incalescat, hinc vocati in re trepida tam diu, quam noctu alacriter accurrant. Hinc medicos monitos esse volumus circa ea, quae ipsis in Sacris Canonibus praescribuntur, scilicet ut praefinito tempore

aegrotos serio moneant Sacramenta suscipere, ne spiritualibus auxiliis destituti ex hac vita decedant.

Ordinem vere, et proprie esse unum ex septem Ecclesiae Sacramentis tum Scripturae testimonio, tum Apostolica Tradictione, Patrumque consensu compertum est. Gratiam simul, et Characterem, qui nec deleri, nec auferri potest, scimus etiam conferri, et imprimi. Qui igitur primam clericalem Tonsuram, et ordines suscipere, et postea ad Sacros progredi cupiunt, proposita a Nobis ordinatim ante Parochorum testimonium de vita, moribus, de Ecclesiae assiduo, et laudabili servitio, de Sacramentorum frequentia, posthabito omni humano respectu, exhibitum, et caetera omnia, quae in Circulari sub die sexta Februarii hujus anni circa tractatus exponendos praesertim statuimus. Cum igitur hujus Seminarii Ædes sint paratae ad recipiendam studiosam Juventutem, qui ordinationem appetere praesumant, illuc circa vitae disciplinam, et scientiarum profectum testimonium proferre debent. Minime qui extra illud vitam degat ad ordines suscipiendos dignus judicabitur. Patrimonium tandem idoneum habeant, quod sit verum, reale, et non fictitium sub poenis a jure inflictis, et ad normam novissimae literae ab excellentissimo de rebus Ecclesiasticis Praefecto editae. Hoc obligari, alienari, aut quocumque titulo, Nobis inconsultis, distrahi prohibemus, cum non liceat ulli Episcopo Clericos ordinare nisi sit illis, unde vivere possint.

Apostolus ad Ephesios scribens dixit. *Matrimonium magnum esse Sacramentum*, a Christo Domino institutum ad humanae sobolis procreationem, et istitutionem. Cura-

bunt Parochi, ut purum, integrumque a fidelibus servetur, et tam salutari fini respondeant. Doceant insuper non ad voluptates, et ad carnis illecebras esse institutum, sed ad pietatem fovendam, ad liberos pie educandos, et ad pacem, et concordiam in familiis constituendam, ne suis effectibus defraudentur. Frequentia inter Sponsos ante matrimonii celebrationem penitus eliminetur, cum experientia compertum sit innumera ex tali commercio Scandala suboriri. Ter a proprio contrahensium Parocho tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, nec matrimonium esse proclamandum nisi antea Sponsos repererint in Christianae Religionis rudimentis satis instructos, juxta Decretum Clementis decimi primi, et in Encyclica Benedicti decimi quarti ad universos Episcopos cujus rei fidem facere, et ad Nos transmittere Parochi teneantur, cum aliis documentis a Nobis praescriptis in Circulari sub die vigesima quarta martii hujus anni. Ubi aliquid suboriatur impedimentum sive impediens, sive dirimens haud a Sacrorum Canonum regulis abscedatur, et tandem etiam observanda nuperrima Regia praescripta super statu civili. Praemissis Solemnitatibus ad celebrationem Matrimonii in faciem Ecclesiae procedatur, ubi Parochus per verba de praesenti *vis*, *et volo*, et per formam a Rituali Romano praescriptam Sponsos saltem duobus Testibus praesentibus legitime conjungat, quod in libro Matrimoniorum juxta formulas in eodem Rituali Romano contentas adnotare non praetereat. Conjuges doceat de indissolubili vinculo hujus Sacramenti cum aliis admonitionibus, quae habentur in Rubricis Missalis Romani

in Missa pro Sponso, et Sponsa. Matrimonium celebretur de mane, et Sponsi in Missa benedicantur juxta Ecclesiae Monitum. Si alio tempore necessitas illud celebrandum sumserit, id Nobis, vel nostro Vicario Generali inconsultis nequaquam fiat. Cum vero grave poccatum sit, uti Tridentinum loquitur, homines solutos Concubinas habere, et in hujus magni Sacramenti maximum contemptum uxoratus quoque in tali damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi cum uxoribus alere, et retinere; idcirco ut tanto malo opportunis remediis provideamus in hujusmodi Concubinarios tam Solutos quam uxoratos (postquam ter admoniti fuerint, nec Concubinas ejecerint) providendum juxta praescriptum Tridentini Ses. XIV. Cap. VIII. de refermatione, invocato (si opus fuerit) brachio Saeculari in contumaces cujuscumque sexus, et contitionis existant.

CAPUT VII.

DE VITA, ET CLERICORUM HONESTATE.

Quia Clerici de sorte sunt Domini, vel potius ipse Dominus est sors, et pars Clericorum facile perspicitur quam proba, et honesta immo gravitate, et Religione plena oportet fit eorum vita, in quos veluti speculum reliqui oculos suos conjiciunt, ex iis sumant quod imitentur. At non raro sui muneris oblitus aliquis Clericorum a via veritatis aberrat. Hinc Tridentinum Episcopis praecipiebat, ut eorum Clerici conver-

satione, sermone, et scientia commisso sibi Dei populo praecant, et cum decentia habitus extrinseci, intrinsecam morum honestatem praeseferant. Rogamus omnes prae oculis habere quidquid circa disciplinam, et Ecclesiasticam vitam in Sancta visitatione decernimus, et statuimus, quae prorsus plene, et omnino servari mandamus sub poenis in eis praescriptis, et primo in hac Synodo praterea adjungimus alias admonitiones.

I. Experti sumus magnopere conducere, ut Ecclesiastici Viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordidum de mondano pulvere contractum est, detergitur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationes extollitur, recte, et sancte vivendi norma, vel istruitur, vel confirmatur. Hinc omnes de Clero excitamus, ut per dies octo, vel decem eadem exercitia saltem semel in anno peragant in Consolationis Domo.

II. Conferentiae Casuum moralium omnes intersint, eosdem per sortem resolvant, nec quisquam sub aliquo praetextu se eximat sub poenis in Sancta Visitatione statutis.

III. Multa mala proveniunt quando Ecclesiastici Laicorum rebus, et negotiis se immisceant, et temere ingerant. Cum Apostolo igitur omnes monemus, ut *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.*

IV. Omnes Sacerdotes cujuscumque gradus non audeant Ecclesiam ingredi, ut sacra faciant, et Choro intersint, aut quamcumque aliam Ecclesiasticam functionem exerceant sine integro habitu talari. Parochi vero; et qui Curae Animarum dent operam semper eum

gestare debeant, juxta Regium diploma anni 1779. Insuper comam, non nutriant, sed tonsuram, et Coronam simpliciter deferant in signum Regni, quod in Christo expectatur.

V. Arma cujuscumque generis, et praesertim sclopum non gerant, propter periculum, quo se eos exponunt evadendi ex illorum usu irregulares, quia, etiam hujusmodi delatio est contra spiritum lenitatis.

VI. Alearum, vini, Taxillorumque ludis a Sacris Canonibus prohibitis nequaquam dent operam. Verum tolerandum ob corporis levamen, ac recreationis caussa in loco privato, abductoque in ludis licitis, ac honestis pro aliqua hora vespertina, juxta conditiones a Divo Thoma praescriptas manere.

VII. Larvati numquam incedant. Chorcas non ducant, nec sint in locis, ubi ducuntur. Profanis spectaculis in Teatro non intersint, sub poena suspensionis, quia qui Christi sunt carnem suam Crucifigere debeant cum vitiis et concupiscentiis, juxta Apostoli monitum ad Galatas. Nimio vino non inserviant, et expedit illud linphatum bibere, et abstineant se a crapula, propterquam multi obierunt, qui autem abstinens est vitam adjiciat, ita in Ecclesiastico.

VIII. Tandem ita se gerunt Ecclesiastici, ita Deo juste, et pie vivant, inserviantque, ut qui ex adverso sunt nihil mali habeant de ipsis dicere.

CAPUT VIII.

DE DOMUS DEI CURA, ET DECORE.

Dilexi decorem Domus tuae, inquit Regius Psalmista, et alio loco: *Domum Dei decet sanctitudo*. Hinc omnis decor, Sanctitas, et studium in conservandis Dei Ecclesiis, et sacris suppellectilibus est adhibendum. In iis locis, ubi nova templa sint construenda, postquam perfecta, curent eorum Rectores statim ea aut per Nos consecrare, aut benedicere, et ibi Altaria lapidea excitare, qua etiam a Nobis erunt consecranda, juxta illud: *cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus*. Ecclesiae contra, quae existant, si restauratione indigeant, (prout in decretis Sanctae Visitationis) infra tempus praefixum reparentur. In dicta visitatione in aliquibus locis non sine animi nostri moerore experti sumus, vel fatiscentes, vel indecoras, vel maxima Sacrorum suppellectilium inopia laborantes Ecclesias esse. Precamur nunc, ut apprime omnia disponantur, ut pulchritudo, et sanctitudo in Dei Domo appareat. In hac nostra Cathedrali omnino Canonico Thesorario interdicimus sub poena suspensionis neque Sacra vasa, neque suppellectiles sacras, aut aliquid aliud hujus generis aliis Ecclesiis commodare, et alibi transferre: omnis abusus hactenus perpessus penitus in hac Synodo a Nobis abrogatur.

CAPUT IX.

DE CANONICIS.

Canonici sic dicti vel a Canone seu Ecclesia matricula, cui erant descripti, vel potius ab exactiori Canonum observantia, cui summopere studebant ab initio. Oportet igitur, ut omnibus sint exemplo, utpote in Eos reliqui de Clero oculos conjiciant, Sacrosque Canones prae caeteris calleant, et adimpleant, morumque integritate praefulgeant necesse est. Id etiam in Collegiatis locum habere convenit. Sicut ad Canonicorum officia de hac Nostra Cathedrali attineat cura habitualis animarum, aut Coadjuvatio adnexa est, ita eadem ad omnes Cleros etiam tum numeratos, tum innumeratos ratio extenditur, uti novissime sancitum fuit a Summo Pontifice Pio septimo in Bulla *Impensa*. Idcirco in Sacramentorum administratione, et Parochorum muniis Canonici omnes, et Presbyteri cooperari tenentur. Sed hoc obiter ad Canonicorum officia revertamur. Tum Psalmodiam peragant sciant rotunda; et viva voce, pausa in asterisco. Nullus ante alios incipere, et nimis currere praesumat. Simul legant, simul pausent, et quo una pars dimittat; alia incipiat. Monemus omnes, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino serviant, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes voci, non praecidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, et remissis vocibus muliebre quiddam de nare sonantes. Sed

virili sonitu, et affectu voces Sancti Spiritus depromentur. Choro hora praescripta intersint, ibi non ut statuae, sed praesentes canant, horas Canonicas integras persolvant. Post tertiam Missam celebrent, exceptis feriis per annum, in quibus Missa dicitur post Nonam, et omnis abusus antea habitus, est destruendus uti Rubricis contrarius. Ne qua in parte cultus Divinus diminuatur, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur, ideo in hoc Capitulo, et in omnibus Ecclesiis Collegiatis, et Receptitiis tam numeratis, quam innumeratis duo sint punctatores, alter a Nobis, et alter a respectivis Corporationibus deputandus, qui non solum absentes, sed eos omnes haud propria onera absolventes diligenter adnotent in libro apposite ad hoc confecto: iidem juramentum praevium praestare tenentur in Civitate in Manibus Nostris, et in Dioecesi apud Vicarios Foraneos publice in Sacristia de fideliter munus suum exercendo, quod extenditur etiam ad Silentium in Choro integre custodiendum, et ordinem servandum, in sedendo, stando, genuflectendo, caput inclinando, aliisque Ritibus praescriptis. Puntaturae sint obnoxii qui propre Stallo stare nesciunt, aut propriis insignibus non induti, aut Choro discedant sub aliquo praetextu, et sine reverentia adhibenda Chori Praefecto. Hic tandem duo advertenda reputamus, primum ne bona Capituli, et aliarum Ecclesiarum cujuscumque beneficiati propinquò, et propriis familiis locentur sine expressa Nostra licentia; deinde nullus Ecclesiis Receptitiis admittatur sine praevio examine coram Nobis, et nostris examinatoribus Synodalibus faciendo.

CAPUT X.

DE PAROCHIS

Est Nostrum etiam sermonem vertere ad Parochos, et Curatos omnes, ut intelligant praecipuum eorum munus esse oves pascere, et pascere nihil aliud significat, quam Evangelizare subiectis, Deo reddere populum acceptabilem verbo, opere, et exemplo, vias Domini dirigere, et parare Domino plebem perfectam. Parochi igitur singulis saltem diebus Dominicis sermonem super Evangelio occurrenti, gravitate, et doctrina plenum Populo clare, et Stylo simplici, vulgarique habeant. Singulis diebus festivis, ac quotidie toto Sacrae Quadragesimae tempore Erudimenta fidei, et doctrinam Christianam Pueros docent, quique in unaquaque Parochiali Ecclesia per Clericos, et Novitios, ut moris est, processionaliter incedentes colligantur. Ad praedicationem, ad instructionem, ad verba, bona opera, atque exempla adjicere necesse est. Nam verba sine operibus vana, et infructuosa Parochis erunt, et sane *nocet*, inquit Sanctus Chrysostamus, *exemplo suo malo Sacerdos*, *quam praedicando prodest*. Per eos enim, qui docent, et faciunt magnificatur Deus, sed per eos qui docent, et non faciunt blasphematur. Sint ergo Parochorum lumbi praecincti, et lucernae ardentes in manibus eorum, et sciant quod non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Vae praesidentibus carnalem vitam negligentem, inflatam,

et scandalosam ducentibus; quoniam universa subditorum peccata in eos redundant! Vigilent itaque, et sobrii sint, et exemplo bonorum operum forma gregis effecti, eos existiment homines Ministros Christi, et dispensatores ministeriorum Dei. Oves ipsis creditas in coelestis patriae beatitudinem per angustam portam monitis, et increpationibus jugiter compellant intrare, ut cum Pastorum Princeps ad judicandum venerit, ei quisque ipsorum dicere possit: ecce quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam, et ipse reddet unicuique gloriae Coronam.

CAPUT XI.

DE VICARIIS FORANEIS

Necessariam esse judicamus laudabilem consuetudinem ab omnibus Ordinariis adprobatam, conservare scilicet etiam in hac nostra Dioecesi Vicarios Foraneos, praesertim in locis praestantioribus. Cum per Nos ad ejusdem negotia semper praesentes esse non possimus, ideo eorum munus erit inspicere an in Ecclesiis ubi Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum servatur diu, noctuque lampas semper accensa splendeat. An in Sacristiis Tabellae ubi Missarum onera inscribuntur pendeant. An Parochi diligenter Dei verbum annunciant, pueros doctrinam edoceant, Sacramenta praebeant, infirmis adsistant, et propria onera adimpleant. An Choro addicti etiam in persolvendis Anniversariis, et adventitiis assiduum, et laudabile servi-

tium praestant, et Punctatores absentes notent. An Clerici cum vetitis mulieribus cohabitent. An Casuum Conferentia statis diebus habeatur. An omnia decreta tum Synodalia, tum in Sancta Visitatione confecta plene observentur, et demum quidquid ad Clerici disciplinam, et populi mores spectat. Omnes omissiones, abusus, et inademplimenta illico ad Nos deferre tenentur. Cultum Divinum promoveant. Si peregrini adveniant Sacerdotes sine sui Ordinarii literis commendatitiis ad Divina facienda, et Sacramenta administranda non admittant. Curent ut mense Januarii cujuslibet anni declaratoriam a Nostra Episcopali Curia obtineant quae gratis expediatur, de computis respectivae procurationis in administratione Ecclesiarum redditnum. Tandem ut breviter expediamus invigilent, an Clerici suis Ecclesiis adscripti propriis fungantur muneribus.

CAPUT XII.

DE SEMINARIO DIOECESANO.

In Episcopali Domo olim, vel in AEdibus Ecclesiae proximis sub disciplina ipsius Episcopi legimus collectos fuisse adolescentulos in sortem Domini destinandos, ut Deo per consuetudinem bonam, et Ecclesiae per optimam famam placerent. Quanto Ecclesiasticae disciplinae bono foret ista Iuvenum collectio probatur ex eo, quod Episcopos consulit Benedictus decimus quartus, et commendat earum Dioecesum observantiam, in quibus pro lege habebatur, ut Sacri

ordines nemini conferentur, nisi iis tantum qui vel multos annos, vel saltem definitum aliquod temporis spatium in Seminario non transegerint. Veterem hanc, utilissimamque institutionem sapienter renovavit Tridentinum, ejusque Egregius Interpetres, et Executor S. Carolus Borromoeus. Noscentes enim Tridentini Patres quod adolescentium actas, nisi ab ineunte aetate ad pietatem, et Religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideret, et prona ad vitia flecteretur, per Episcopos eligendum, religiose educandum, et in Ecclesiasticis disciplinis instituendum esse voluit certum puerorum numerum, quorum indoles, et voluntas spem afferret eos Ecclesiae ministeriis perpetuo inservituros, ita ut Seminarium Dei Ministrorum perpetuum Collegium evaderet. Ideo in Domino confisi, et spem nostram reponentes non pauca hujus Episcopii Spatia ad Seminarii Aedes adaptandas attribuere statuimus, ut cum aliis adiunctionibus jam constructis, Deo adjuvante, apta evaderent, et omnia disponerentur juxta Ephebeorum formam, et regulas, in quibus optamus juventutem rationem invenire, ut bonis moribus, et studiis sedulam operam impendat. Nescio enim, quo casu hoc juventutis studiosae, simulque Deo sacrandae receptaculum diu desideratum fuisse in hac Bovinensi Dioecesi. Ex quo vero Nos ad hoc opus Episcopale, licet immeriti, vocati fuimus, id semper in animo repositum manebat. Nequidem acquivimus cum coram Nostro Optimo Rege Ferdinando II. sisteremus, nam gratiis actis, pro nostra exaltatione ad Episcopatum, pietatem, et ejusdem Principi-

Religionem exoravimus, ut hac ex parte animum Nostrum expleret. Suam munificentiam liberalitatemque, nunc etiam plures experiri haud cessamus, usquedum voti compotes fuerimus. His praemissis, et dispositis jam in proximo est, et si non plane absolutum hoc Seminarium, aliquo modo tamen videtur, ut juvenes recipere, et ibi pietatem, scientiasque excolere valeant. Quapropter operam dabimus Rectorem, Magistros, et alia omnia ad tuendam, custodiendam, et Iuventutem informandam necessaria eligere, et destinare. Insuper ut in hoc loco pietas, boni mores, scientiaeque effulgeant mandamus ejisdem, ut amice conspirantes alumnis suae fidei curaeque commissis noctuque, diuque adsint in omnibus cum eorum praesentia (sicut avis assidens pullis implumibus, minus timet serpentium illapsus, plus latura auxilii illis praesentibus cum adsit, quam relictis.). Praeterea ne quidquid succosae frugis ex studiorum curriculo tot laboribus intra hoc Ephebeum collectum sit repente evanescat, ferias authmnales ad accomodatum tempus redigimus, jubentes, illis elapsis, neminem admitti posse, nisi ex Parochorum fide constaverit Sacramenta frequentasse, studiis, et bonis moribus operam navasse. Tandem cum Clericorum Seminaria a Tridentino sint Episcopis commendala, et ad Ecclesiasticam disciplinam conservandam multum necessaria, Nos latum quidem unguem a Concilio discedentes, pro tuenda disciplina, et ad alia, quae ad mores pertinent statuenda, eligimus hos deputatos. Perillustrem, et admodum Reverendum Dominum Josephum Bruno hujus Cathedralis Ecclesiae Canonicum.

Admodum Reverendum Dominum Michaelem Lolatte ejusdem Cathedralis Ecclesiae Mansionarium.

Pro pii loci rebus bene curandis, pro Oeconomico regimine, et redditione accepti, et expensi in singulis annis, ut ipsum Tridentinum praescribit his verbis *Reddituum autem rationem Seminarii Episcopus annis singulis accipiat praesentibus duobus e Capitulo, et totidem e Clero Civitatis deputatis*. Nos ad hoc onus eligimus. Perillustrem, et admodum Reverendum Dominum Marcum Mariam Lombardi hujus Cathedralis Ecclesiae Canonicum. Capitulum elegit. Perillustrem, ac admodum Reverendum Dominum Franciscum Gagliardi Canonicum Paenitentiarium ejusdem Cathedralis Ecclesiae, Nos e Clero admodum Reverendum Dominum Marcum Santoro Mansionarium dictae Ecclesiae Cathedralis elegimus, Clerus elegit Reverendum Dominum Vincentium Barone. Nos horum consilio omnino expetemus firmandis, et statuendis Seminarii Regulis, in admissione, et expulsione Puerorum, Magistrorum electione, et librorum legendorum, in visitatione et rerum temporalium administratione, juxta Sacrae Congregationis Concilii mentem. Hactenus de Seminario.

CAPUT XIII.

DE SYNODI OFFICIALIBUS, ET DE CLERI TAM URBANI, QUAM DIOECESANI PROCURATORE.

Quia in hac Synodo legitime convocata, et congregata nonnullorum opera indigemus et ministerio, ideo sequentes officiales eligimus.

I. Caerimoniarum Magistrum Perillustrem, et admodum Reverendum Dominum Aloysium Durante Canonicum Regiae Cathedralis Ecclesiae Cantorem.

II. Cleri Urbani, et Dioecesani Procuratorem Reverendum Dominum Cyriacum Lomdardi Canonicum Thesaurarium dictae Ecclesiae.

III. Ad Promotoris Fiscalis officium quoque eumdem Reverendum Dominum Aloysium Durante Canonicum Cantorem.

IV. Hujus Synodi Secretarium Reverendum Dominum Franciscum Paulum Macchiarelli.

CAPUT XIV.

DE ORGANISTAE OFFICIO.

Ut bene suas partes Organista calleat, et exequatur non ad delectandos animos, sed ad pietatem emolliendos cantum accomodet. Sonus, et alia, quae ad Theatrales actiones pertinent, evitet. Festis, et aliis statis diebus, uti mos est, voce permista cum Organi sonitu divina

officia, et Missas Solemnes ad normam Antiphonarii, et Gradualis Romani comitetur.

CAPUT XV.

DE EXAMINATORIBUS, ET JUDICIBUS SYNODALIBUS.

Ut in Vacantium Parochiarum examine, quod ex Bulla: *Impensa*, cum Regiis Sanctionibus extenditur etiam ad Ecclesiarum Receptitiarum participationes conferendas. Examinatores, et Judices emunctae naris, atque omni exceptione majores, qui omnia ad legis, et rationis amussim exigant praesto sint, nec a Concilio Tridentino, et constitutionibus Benedicti Decimi Quarti, et Pii Septimi discendentes eligimus in Civitate,

I. Perillustrem, et Admodum Reverendum Dominum Josephum Santoro Archidiaconum hujus Cathedralis Ecclesiae, utriusque Juris Doctorem.

II. Perillustrem, et admodum Reverendum Dominum Antonium Anzani Canonicum Theologum hujus Cathedralis, et Sacrae Theologiae Doctorem.

III. Perillustrem, et admodum Reverendum Dominum Angelum Villani Canonicum hujus Cathedralis, utriusque Juris Doctorem, et Provicarium Generalem.

IV. Perillustrem, et admodum Reverendum Dominum Josephum Bruno Canonicum, et Sacrae Theologiae Doctorem.

V. Perillustrem, ac admodum Reverendum Dominum Marcum Mariam Canonicum Lombardi.

VI. Perillustrem, et admodum Reverendum Do-

minum Franciscum Canonicum Poenitentiarium Gagliardi, et in Sacra Theologia licentiatum.

VII. Admodum Reverendum Dominum Josephum Lombardi Sancti Petri hujus Civitatis Archipresbyterum Curatum.

VIII. Admodum Reverendum Dominum Michaelem Lolatte hujus Cathedralis Ecclesiae Mansionarium.

In Dioecesi.

IX. Admodum Reverendum Dominum Nicolaum de Blasiis Canonicum, et Rectorem Curatum Iliceti.

X. Admodum Reverendum Dominum Paschalem Antonium Magnisio Archipresbyterum Curatum Parochialis Ecclesiae Matricis Sancti Nicolai terrae Sanctae Agathae.

XI. Admodum Reverendum Dominum Januarium Santoro Archipresbyterum Curatum Terrae Castri Saurorum.

XII. Fratrem Stephanum a Bovino Lectorem ordinis Sancti Francisci Cappuccinorum in hoc Coenobio degentem, ejusdemque Guardianum.

Qua notatione peracta omnes responderunt, placet. Tunc electi omnes sequens protulerunt juramentum.

Ego N. N. Ec. ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Francisco Xaverio Farace, Episcopo Bovinensi, in hac Synodo Examinator, et Judex electus, et legitime approbatus, promitto, spondeo, et juro me omni spe, metu, praemio, humanaque affectione remotis, munus Examinatoris, et Judicis mihi injunctum recte, et fideliter impleturum. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Evangelii Verba.

CAPUT XVI.

DE CENSURIS, ET CASIBUS RESERVATIS.

Quamvis Censurarum gladius, excommunicationis praesertim, nervus fit, ut ait Tridentinum, Ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio Populos valde salutaris; cum vero praecipiat Apostolus, ut Episcopi, qui Pastores sunt, non percussores, subjectos sibi populos arguant, obsecrent, increpant in omni bonitate, et Doctrina, cum saepe ex Patrum testimonio plus agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus Caritas, quam potestas, hinc Casus reservatos constituentes, et proponentes in hac Synodo ~~nunc primum a Nobis habita~~, volumus eos tantum retiueri, et extare, qui sequuntur, et duos tantum cum excommunicatione, caeteros hac nota immunes esse sancivimus. Abrogamus omnes alios a Nostris Pracdecessoribus statutos, etiam Censuras sive latae, sive ferendae sententiae inflictas, et solum retentis, quae sunt in Corpore juris, et in decretis Sanctae Visitationis nuperrime a Nobis etiam peractae.

Tabella Casuum Reservatorum absque Censura.

I. Sortilegi, Incantatores, Venefici, qui expresse Daemones invocant, vel Sacramentis, Sacrisque rebus abutuntur.

II. Pejerantes in judicio tam Civili, quam Cri-

minali, aliosque ad falsum testimonium dicendum inducentes cum gravi damno tertii.

III. Incestus inter Consanquineos, et affines in primo, et secundo gradu Canonico.

IV. Incendiarii domornm, etiam ruralium, vel incisores arborum frugiferarum, vinearum, et Messis, pravo tamen animo, et ad vindictam.

V. Nefandum Sodomiae perfectae, et bestialitatis crimen committentes.

VI. Sponsi, et Sponsae qui post contracta Sponsalia, et ante matrimonium se cognoverint. Item Parentes, Consanguinei, Affines, vel aliis domus curam habentes, id, vel Cohabitationem permittentes etiam pro una tantum nocte.

VII. Abortum tentantes, et Conficientes, vel propinantes venena, aut cooperantes, etiam effectu non secuto.

VIII. Occultantes, et retinentes bona Ecclesiae, vel Scripturas, et libros ad Ecclesiam pertinentes.

IX. Constituentes, aut Consulentes ficta Patrimonia, vel fiduciaria, omnesque ad id quovis modo concurrentes.

X. Blasphemantes Deum, Jesum Christum Dominum Nostrum, et Sanctissimam Virginem Mariam, aut Sanctos post tertiam vicem.

Cum Excommunicatione.

I. De obscaenis cum Monialibus, seu quacumque alia intra Monasterium degente, colloquentes, vel im-

pudica scribentes; praefatasque literas ad easdem scienter deferentes. Eamdem reservationem, atque excommunicationem incurrunt qui eadem audent perpatrare in Conservatoriis Puellarum Educationi destinatis. Si vero sint Clerici in Suspensionem etiam ipso facto eidem Illustrissimo, a Reverendissimo Domino reservatam incurrunt.

II. Schedulas quascumque, seu libellos famosos infamiam irrogantes, Scripturas, aut literas, quas vulgo vocant *Caecas*, falsum continentes, auctoris tacito, vel subficto, aut supposito alterius nomine, scribentes, consulentes, transmittentes; circumferentes, publicantes, et scienter affigentes cum excommunicatione ipso facto incurrenda aeque a Laicis, ac ab Ecclesiasticis.

CAPUT XVII.

DE SYNODI TESTIBUS.

Concilii Lateranensis Generalis quarti praescripta insistere cupientes pro hac Civitate Dignitates, et Canonicos Cathedralis, et pro Dioecesi Parochos hujus nostrae primae Synodi testes Eligimus. His cordi sit inspicere; quae in propriis ecclesiis corripienda, quae reformanda sint, et si forte quae in hac Synodo statuimus negligi reprehenderint ad Nos fideliter referre non omittant.

CAPUT XVIII.

DE DECRETORUM OBSERVANTIA, ET HUJUS SYNODI DEMISSIONE.

Tandem, Deo adjuvante, hanc Synodum absolvimus, nunc reliquum est, ut quidquid in ea statuimus ab omnibus penitus teneatur, et observetur. Parochis, atque Vicariis Foraneis praecipimus, ut has Constitutiones penes se retineant, et frequenter, saltem semel in mense in Casuum Moralium Conferentia perlegant; easque populo vernacula etiam si oportuerit lingua, qua parte illum respiciunt, saepius explicent, ut quisque suum munus agnoscens, alacriter in Domino illud exequi valeat, utpote Superioribus Potestatibus subditus. Omnibus jam ad proprias Ecclesias, et ad suos Lares redeundi facultatem concedimus, omnesqe dimittimus. Prius tamen, festo Sancti Marci Episcopi Protectoris nostri recurrente, obedientia Nobis praestanda est juxta veteres consuetudines. Omnibus hic convocatis fausta adprecamur, Deo Patri Luminum, Beatissimae Virgini Mariae sub titulo Vallisviridis, ac Sancto Marco Patrono gratias agimus. Non amplius Vos moramur, fratres Dilectissimi. *Franciscus Farace Episcopus Bovinen.*

Praedicta omnia, et singula acta, ac Decreta in praesenti Synodo contenta, Celebrata, promulgata, lecta, lata, et recepta fuisse in Sancta Regia Cathedrali Ecclesia Bovinen coram Reverendissimo Capitulo, Archipresbytero Parochialis Ecclesiae Sancti Petri ejus-

dem Civitatis, Archipresbyteris, Curatis, Vicariis Foraneis, Iliceti, Sanctae Agathae, Aquadiae, Panni, Castri Saurorum, et Montis Acuti, Caeterisque Beneficiatis hujus Dioecesis praesentibus sub die sexta Octobris Anni Millesimi Octingentesimi tricesimi Octavi 1838, fidem facio, atque testor. Ego Franciscus Paulus Macchiarelli Synodi Secretarius.